

Hieræ picræ, drachmas tres.
 Misce optimè, & cum melle rutaceo fiant duo pessaria secundum artem.
 Ad expellendas secundinas, & ad alia inserviunt.

CAPUT XV.

DE ERRHINIS.

Errhinum est medicamentum, quod in nares (capitis purgandi gratia) immittitur, & quod absque sternutatione sæpè operationes suas absolvit.

Et est vel liquidum, vel ficcum; liquidum est, succus betæ, iridis, &c. paratur etiam ex decoctis betonicæ, majoranæ, & similibus.

Siccum, seu solidum componitur ex nicotianæ foliis circumvolutis, & aliis compositis adaptatis, quæ in nares immittuntur.

ERRHINUM CEPHALICUM.

R. Decocti Majoranæ,
 Betæ cum vino albo facti, . . . uncias quatuor.
 Tepidè prono capite, & aqua ore pleno, naribus attrahatur, ter, quaterve jejuno stomacho.

Ad expurgandum cerebrum à crassis, & viscidis humoribus prodest.

ERRHINUM ANODINUM.

R. Foliorum Lactucæ, . . . }
 Solani, . . . } ana manipulum unum.
 Plantaginis, . . }

Incidantur, & in

Aquæ simplicis tepidæ, . . . libris duabus.

168 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.

Coquantur per quadrantem horæ, addendo in fine

Florum Nymphææ, . . . } ana manipulum semis.
Violarum, . . . }

Iterum levi ebullitione percoquantur, & decoctum refrigeratum coletur.

In phrenitide, atque delirio confert.

ERRHINUM SOLIDUM ASTRINGENS.

R. Boli Armenæ, . . . } ana drachmam unam.
Terræ Sigillatæ, . . . }
Sanguinis Draconis, . . . }
Sachari Saturni, scrupulum unum.

Subtiliter terantur, & cum urticæ succo, & ovorum albumine formentur penicilli, in nares immittendi.

In hæmorrhagiis narium, & aliis sanguinis fluxibus sistendis proficit.

DE MASTICATORIIS.

Masticatorium est medicamentum saporis acris ad masticandum aptum, & ita proprium ad lympham crassam capitis expurgandam.

Aliud est simplex, aliud compositum: simplex, vel integrum, vel concisum, & dentibus masticatur, ut Nicotiana, Pyrethrum, Salvia, & similia.

MASTICATORIUM COMPOSITUM.

R. Radicis Pyrethri, . . . } ana drachmas tres.
Seminis Sinapis, . . . }
Mastiches, drachmas duas & semis.
Radicis Iridis, . . . } ana drachmam unam.
Zingiberis, }

Fiat omnium pulvis subtilissimus, & cum

Ceræ citrinæ liquatæ, unciiis tribus.

Misceantur optimè, & fiat massa, ex qua globuli formentur ponderis drachmarum duarum.

Massicatum sputum movet, lympham crassam dissolvit, atque evacuat.

CAPUT XVI.

DE EPITHEMATIBUS.

Epithema est medicamentum externum ex aquis distillatis, succis, spiritibus, tincturis, acetis, oleis, pulveribus, & confectionibus appropriatis, secundum morborum constitutionem combinatum.

EPITHEMA LIQUIDUM CORDIALE.

R. Aquæ Naphæ, } ana uncias quatuor.
 Rosarum, }
 Vini albi optimi, uncias duas.
 Theriacæ magnæ, drachmas duas.
 Camphoræ, scrupulos duos.

Misce secundum artem, & fiat Epithema, in quo pannum insuccatum, ac leviter expressum cordis regioni, tepidè ter, quaterve in die admoveatur.

EPITHEMA CARDIACUM.

R. Aquæ Theriacalis, } ana uncias quatuor.
 totius Citri, }
 Succi Pomorum redolentium, }
 Tincturæ Alchermes, drachmas tres.
 Elixirii vitæ, drachmas duas.

Misce, & fiat Epithema, quod tepefactum Cordi applicetur.

Y